

Heinrich Rahn Joachim Georg Balcke


Disputatio Inauguralis De Hominibus Propriis

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766615987>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

HOMINIBUS
PROPRIIS,

Quam

Juvante DEO ter opt.ter Max.

Ex Consensu & Autoritate Magnifici &
Amplissimi Jctorum Collegij in illustri
Acad. Rostochiensis,

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo & Consultissimo,

DN. HENRICO RASNER / J. U. D.

& Professore P. Consistorii Ducalis Adessore, & Juri-
dicæ Facultatis p.t. DECANO spectabili,
DN. Præceptore ac Promotore suo plurimum
venerando.

Pro summis in Utroq; Jure Honoribus & Privilegiis
Doctoralibus consequendis

Publico Examini submittit


JOACHIMUS GEORGIUS Baleske /
Parchimo Mechlenburg.


In Auditorio Magno die 6. Decemb.

Horis ante & pomeridianis.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typ. 1649.





IN NOMINE JESU.
PRÆFATIO.

QUAMVIS materiae servitutis personalis primâ fronte utilis opera non videatur impendi, eò quod vera mancipia nullibi in Germania reperiantur, illam tamen si quis penitus inspexerit, minimè otiosam, sed magnæ adhuc utilitatis esse deprehendet, non tantùm, quia ad juris Romani cognitionem multum conferat, teste *Schneidero. ad S. fru. n. 4. Inst. de Jur. Pers. & Treutl. p. 1. disp. 2. ch. 2.* sed imprimis cum hodierni rustici seu proprii homines, ut dicuntur à DD, præsertim in locis septentrionalibus prisca mancipia in multis referant, & quasi redoleant, inq; hoc ipso Ducatu Mechlenburgensi tales inventantur. Quare constitui mecum, in eorum originem, naturam, & conditionem paulùm accuratius hæc Dissertatione inquirere. Quod dum facio, Deum oro & obtestor, ut gratiâ suâ hæc propositio adspirare velit.

THE S I S I.

HARDI est ingenii rivulos consecrari, fontes rerum non videre, inquit Cicero *lib. 2. de Orat.* Quod ipsum ne etiam nobis objici possit, de Origine Servitutis non nihil præmittamus. Hanc autem Philosophi juri naturali tribuant: Sic enim *Aristot. lib. 1. de Repub. c. 5.* Naturam, ait, pro conditione suam cuiuslibet dedisse indolem, atq; ita corpus animæ, bruta homini, foeminas viris subjecisse, quæ multos eò adegerit, ut suæ imbecillitatis conscii seipso s sponte aliis in servitutem dederint. *Hug. Grot. de Jur. Pac. & bell. lib. 2. c. 5. n. 27.*

II. Jcti vero omnes homines naturâ æquales, h. e. æqualis libertatis l. 4. de J. & J. Nov. 89. c. 1. adserentes, Servitutes ex jure gentium oppresso quasi jure naturali §. 2. Inst. de Jur. Pers. l. 1. C. de Scto Syllan. unâ cum bellis & captivitatibus introductas esse statuunt per §. 2. Inst. de J. N. G. & C. l. 5. de J. & J. Cum enim jure belli, quod sibi constituerant gentes, victores occidere possent captivos, parcebant miseris & supplicibus, tum ob humanitatem, tum quoq; commodum ex hostium servitiis victoribus sperandum: De quo Horat. in. Epist. ad Quint.

Vendere cum possis captivum, occidere noli,

Serviet utiliter, seu pascat durus aretq;, &c.

Et inde nomen accepisse servos, præter §. 3. Inst. de Jur Pers. testatur Augustin lib. 19. de Civit. Dei c. 15. Origo, inquit, vocabuli servorum inde creditur deducta, quod hi, qui jure belli possent occidi, à victoribus conservarentur. Non igitur Jctis repugnat Arist. cum penitus de alia servitute, nempe naturali tarditate loquatur.

III. Quamvis autem nonnullæ gentes hanc Servitutem penitus improbaverint, ita enim Chiis nulla fuerunt mancipia, & Phœncibus ac Locrensibus publicâ lege Servorum usus erat interdictus Athen. lib. 6. c. 1. non tamen unius vel alterius gentis mores potuerunt tollere universum jus gentium, quod pleriq; & cultiores populi semper observârunt.

IV. Nec enim apud Hebræos saltem in usu fuerunt Servitutes, Lev. 25. v. 44. & seq. quas ipse Dens peculiaribus legibus circumscripsit, Exod. 21. v. 2. & seq. sed etiam à Romanis receptæ mox ita invaluerunt, ut vitæ necisq; potestas in servos dominis concessa fuerit l. 11. in fin. ff. de lib. & Posthum. l. ult. C. de Patr. Potest. quem tamen rigorem postea à D. Antonino mitigatum esse, docet §. fin. Inst. de hi qui sunt sui vel alien.

V. Postea huic jure gent. inductæ Servituti jus civile tres insuper modos Servitutum adjecit, quorum primus erat venditio, quâ nempe major 20. annis lucri causâ se venundari patiebatur. §. pen. Inst. de jur. Pers. l. 5. de stat. hom. Alter fiebat per sententiam, quoties sc. ob enorme crimen vel ad bestias, vel in metallum damnati, & ita servi pœnæ effecti, l. 6. §. 6. de Injust. rupt. irris. fact. Test. ipsam libertatem amittebant §. 1. Inst. de Cap. Dimin. l. 12. l. 29. ff. de Pœn. Tertius modus locum habebat in liberto erga patronum ingrato l. 2. 3. 4. C. de Libert. & eor. lib. l. ult. C. de Oper. Libert.

VI. Porro

VI. Porro ut nihil antiquitatis penitus ignoretur §. 1. *Inst. de Testam. ord.* non possum non prisca servorum genera breviter hic inferere. Erant autem alii Ordinarii, alii Vicarii, alii Mediastini. Ordinarii sic dicti, quod reliquis servis præponebantur, iterum erant vel Actores, quibus domini omnem rerum suarum administrationem committebant, vel Procuratores, quibus suppellectilem credere solebant, vel Dispensatores, qui inter reliquos servos frumentum per singulos menses distribuebant. Vicarii servis subministrabant ordinariis. Mediastini erant, qui medium inter ordinarios & vicarios locum obtinebant. Vid. *Jacob. Revard. Var. Lect. lib. 5. c. 20.*

VII. Ut autem natura semper appetit libertatem, ita quoq; gentes ad leniendas Servitutes nunquam nõ instigavit, hinc antiqui legumlatores libertatis favore multa contra communes juris regulas statuerunt §. *fin. Inst. de Donat.* & apud Romanos ortæ sunt manumissiones *pr. Inst. de Libert.* quarum solemnitates inter alios referunt *Alex. ab Alex. lib. 4. Gen. Dier. c. 10. Barn. Bris. lib. 1. Antig.*

VIII. Posthac augescente Christianismo rigida illa servitus fere exspiravit, dum piis hominibus nihil erat prius, quam fidei consortes hoc jugo eximere, partim, ut tanto munere ad Christianam religionem eos allicerent, partim quia servitutem Christiano homine indignam judicarent. Factum id esse circa Annum Christi 1250. haud obscure inde colligi potest, quia post A. C. 1200. servi adhuc in Italia fuerunt, ut constat ex Decretis Alexandri 3, Urbani 3, & Innocentii 3. *sub tit. Extr. de Conjug. Serv.* quorum ille Anno 1559. iste Anno 1585. hic Anno 1198. Romani Pontifices creati sunt. Anno autem 1300. nullos amplius servos existisse, testatur, qui hoc tempore floruit, Bartolus *in l. hostes. ff. de Captiv. & postlim. rev.* Exinde nec hodie in mutuis Christianorum bellis capti, ut olim fiunt servi, sed libertatem retinent, ut enim omnes in Orbe Romano viventes cives sunt Romani *l. 17. de Stat. hom. Nov. 78. c. 5.* quos inter neq; olim propriè bellum, neq; captivitatem, neq; servitutem fuisse docet Ulpian. *in l. 21. §. 1. ff. de Captiv. & postlim. revers.* sic totus orbis Christianus, tanquam Respub. vel civitas Christi inter se jus fœderis, societatis ac hospitii habet.

IX. Interim non penitus abolita est Servitus, sed manserunt vestigia ejus in novo Servorum genere, quos *Zafius lib. 2. Resp. sing. c. 7. n. 8.* anonyms, *Grot. de jur. Pac. & bell. lib. 2. c. 5. n. 30.* imperfectos servos.

Dd. communiter Proprios homines, vel manus mortuas appellant. Germanis dicuntur *Leibeigen* vel *Halbeigen* *Wesemb. p. 1. Conf. 18. n. 27.* Atque horum non est ubivis eadem conditio, sed in nonnullis locis melior, in nonnullis deterior. *Coshman. Volum. 1. Resp. 42. n. 25.* In Burgundia ac Sabaudia non multum ab ingenuis eos distare refert *Zaf. 1. Resp. sing. c. 3. n. 77. & seqq.* At versus Septentrionem durioris sunt conditionis, adeo ut etiam Polonis in suos *Kmetones* seu homines proprios jus vitæ ac necis tribuat *Crom. lib. 1. de gent. Polon. ac Bodin. 1. de Repub. c. 5.* quam tamen asperitatem *Uladislaus Jagello A. C. 1423.* & postea *Sigismundus A. C. 1511.* Constitutionibus suis mitigarunt.

X. Quod primævam hujus Servitutis introductionem in Germaniam attinet, eam ex historiis *Clodovæo Francorum Regi* adscribit *Stamm in Tr. de Serv. pers. lib. 3. c. 1. n. 2.* Ubi illam postea à *Carolo M.* in devictos, at continuo feditiones Saxones propagatam esse refert *d. 6. n. 15. & seq.* In hoc Ducatu (ubi rustici dominis suis cum uxoribus & liberis penitus sunt obstricti, attestante novissima *Constit. Provinciali de Anno 646. Tit. 2. §. 1.* Ibi, *Wit Knecht vnd Leibeigenschaft sampt ihren Weib vnd Kindern verwandt*) videntur redolere prisceos illos *Lazzos Saxoni* *Essent à relinquendo dictos juxta Gl. in Art. 59. lib. 2. n. 4. Spec. Sax.* Nam ut historiæ narrant, cum Saxones *Obotritas*, vicinasque gentes religionis Christianæ propagandæ causa debellatos & devictos subegissent, ne inculta jaceret terra, eam proprietate sibi adservatâ, colonis reliquerunt. *Husan. de Prop. Hom. c. 2. n. 29. n. 30.*

XI. Sed antequam ulterius progrediamur, meritò hoc servorum genus definiendum esset, verùm ut omnis in iure definitio periculosa, ita sane priorum hominum, ob variantem illorum naturam ratione loci & factorum, periculosissima, sufficiat ergo vel talem afferre descriptionem: Quod nempe sit novum genus hominum, fundos alienos ita colentium, ut cum aliqua aggravatione libertatis, non modo obsequium & reverentiam, certas item operas aut census præstent dominis, sed nec aliquando sine illorum consensu in alium locum emigrare possint.

XII. Rectè dicitur novum genus hominum, utpote veteribus incognitum, quod neque sub adscriptitiis, neque colonis, neque statu liberis, neque libertis comprehenditur, de omnium tamen natura aliquid participat, *Zaf. 2. Resp. sing. cap. 7. num. 8.* Pro ingenuis haberi non possunt, quamdiu enim hunc statum retinent à privilegiis, dignitatibus, muneribus

bus

40

bus publicis & collegiis Mechanicis excluduntur *l. 11. C. de Agric. & cens. l. 1. C. de Agric. & Manc. Dom.* Quare in iur. servorum *l. 3. C. de Tabul.* ad Notariatus officium eos admittere prohibet Maxim. *l. in Constit. Colon. de anno 1512. §. Erstlich ordnen wir ibi Eigenleut.* unde patet multo minus iudicis officium iis committendum esse, quoniam indignus inferiore, superiore quoque ordine sit indignus *l. 4. ff. de Senator.* Hinc nisi per literas testimoniales manumissionem docuerint, in civitates recipi non solent. Ad libertos quidem propius accedunt, quoad operas & debitam dominis reverentiam, sed propriè tales dici nequeunt, utpote non manumissi *Pr. Instit. de Liberv.* & tam respectu matrimonii, quam operarum deterioribus conditionibus alligati.

XIII. In multis quoque cum servis conveniunt, ita ut iure antiquo de his sancita, ad proprios homines quantum foro nostro conveniant, rectè deducantur *Oldendorp. Cl. 3. Añ 9. vers. tandem.* Sic pleno consensu destituti sine domini suffragio matrimonium inire non possunt *l. fin. C. de Agric. & cens. quippe cuius interest, quibus bona sua sit concediturus Rauchb. lib. 2. Q. 22. v. 23.* Quam ob causam in hoc Ducatu *supr. sb. 10. allegata Constitutio T. 2. §. 1. & 2.* rusticorum sponsalia clam dominis inita, non tantùm nulla pronunciat, sed etiam sacerdotibus talia contrahentes sub pœna remotionis ab officio, & refusionis damni domini inde oborto, copulare prohibet.

XIV. Neatiquam tamen per omnia priscis servis sunt æquiparandi, nempe quorum conditio à brutis & mortuis parum distabat *l. 209. de R. J.* Nec enim (1.) sunt ita partes familiæ Dominicæ, sed propriam familiam ipsi regunt *V. gl. Zuichem. ad §. 7. Inst. de Testam. ordin.* (2.) gaudent iure commerciorum, ut emendi ac vendendi *Ceslm d. Volum. 1. Resp. 42 n. 79.* (3.) Non penitus, ut olim, à dominis possidentur *l. 118. de R. J.* iisque omnia acquirunt *§ 1. Instit. de hi qui sunt sui & c. §. 3. Inst. Per quas pers. cuiq; acq.* (4.) Heredes ab intestato habere possunt; & cur non etiam ex testamento? Quod tamen se nunquam vidisse ait *Zaf. 1. sing. Resp. c. 3. n. 77.* eò quod testamentorum usus à plebe Germaniæ insolens habeatur. Tandem, quod vel maximè eos ab antiquis servis segregat, standi in iudiciis personam habent, teste *Sicbard. ad lib. 11. C. de testib. n. 4.* Et quis eos cum priscis mancipiis confunderet, quos ipse Imperator liberos statuit *l. fin. C. de Transact. & in Nov. 123. c. 17.* ubi adscriptitios servis expressè contra distinguit.

XV. Cum

XV. Cum autem in rusticis maximè hæc servitutis species hodie inveniat, operæ pretium erit, illorum genera, paucis recensere. Licet enim hæc vocabula (Rustici, Censiti, Coloni) promiscue usurpentur, mutua tamen differentiam admittunt. Nam rustici in genere vocantur omnes absq; nobilitatis jure agriculturam exercentes, sive sint sui, sive alieni juris. Censiti, ita dicti à Censu, sunt agricolæ publicam pensionem solventes, secundum qualitatem prædiorum *l. 4. G. de Agric. & Cens.* Coloni verò sunt vel perpetui, ut emphyteutæ, vel temporarii, quorum alij rursus nummarij, qui certam pecuniæ summam quotannis domino solvunt *l. 26. §. 1. ff. de Furt.* Alij Conductitij, qui certam frumenti quantitatem pensionis loco præstant. Alij Partiarij, qui vel dimidiam, vel tertiam fructuum partem domino reddunt *l. 25. §. 6. ff. Locat. vide Schneid. ad §. 37. Inst. de R. D. n. 8 Gail. 2. obs. 23.* Huc pertinent hodierni liberi rustici, Freybarren in propriis & hereditariis fundis agriculturam exercentes, ita ut nihil inde pensionis solvant, nisi quod & alii subditi ex communi subiectionis iure pendunt. *Oldendorp. d. Cl. 3. & Añ. 9. vers. secundum genus.*

XVI. Sed de his iam non agimus, utpote ex nudo contractu obligatis, cæteroquin liberis, & quoad personam non subiectis. Dantur adhuc alii nostro instituto convenientiores coloni, nempe Adscriptitij & Originarij. Sunt autè Adscriptitij Coloni fundo vel agro ita affixi, ut ne puncto quidem temporis debeant amoveri; per *sext. in l. 15. l. 11. l. 23. C. de Agric. & Cens.* Nam ad instar immobilium *Nov. 7. in pr. vers. vult. enlm* partes fundorum censentur, juxta *Sichard in l. 6. §. 1. C. de Secund. nupt.* adeo ut neq; sine terra alienari possint *l. 2. l. 21. in fin. C. h. t.* quanquam hodie apud nos contrarium observatur, ubi eos vendi, donari & permu-
tari cottidie videmus. Originarij vel Originales *l. 4. C. h. t.* sunt nati ex adscriptitijs alijsq; proprijs hominibus, ita dicti quòd origine seu nati-
vitate adstringantur agris & villis, quibus parentes adstricti fuerunt. *Oldend. d. Añ. 9. ibi. Tertium genus.*

XVII. Quod causam efficientem istijusmodi hominum concernit, ipsa vocabulorum etymologia docet, in Adscriptitijs esse adscriptionem, quâ hodie alius rusticus in villa seu pago sese adscribi patiuntur. *Oldend. d. Añ. 9. ibi: Convenit & hoc.* In Originarijs est: ut dictum, origo. Ubi tamen circa liberos distinguendum, nam si parens forte ob illatam alicui gravem injuriam loco mulctæ aut satisfactionis, hominem se proprium ei constituerit, filio jam nato id nocere non debet *tot. tit. C. Ne filius pro-*
pater

patr. nisi etiam bona sua eidem subjecerit, & filius in ea succedere velit, tum enim quod iis inhæret onus simul tenetur agnoscere *arg. l. 23. §. 2. ff. De S. P. R.* Si autem protectionis impetrandæ causa hoc modo se cuiquam submiserit, quamvis nulla liberorum facta sit mentio, tamen cum non minus heredibus nostris quam nobismetipsis prospicere censeamur *l. 9. ff. De Probat.* filios quoq; unâ domino obligavit. Fæminam quod attinet, illa hodie, sive sit adscriptitiæ, sive omnino liberæ conditionis, tanquam vitæ sociæ *l. 1. ff. de Rit. nups.* maritum sequitur, quod etiam in hac regione observari, docet supr. allegata Ordinatio Provinc.

XVIII. Cæterùm tribus potissimum modis huic servituti homines subjiuntur, videlicet (1.) Ex Contractu, v. c. per stipulationem, *Gl. in l. 14. ibi Nunquam C. de Usufr.* imò solam conventionem, *Oldend. d. Act. 9. ibi convenit & hoc, Husan. de Propr. Hom. c. 5. n. 34.* Non enim jure tantùm civili, de quo *supr. ib. 5.* sed etiam divino, *Deut. 15. v. 12. Jerem. 34. v. 14.* ingenuus libertatem suam vendere poterat, quod exemplum Ægyptiorum ad tolerandam vitam seiplos Pharaoni vendentium attestatur, *Gen. 47. v. 19. 20.* Et ita adhuc posse quempiam alteri ad servitutem se se obligare, constat cum *ex l. fin. C. de Transact. tum l. 6. inter dilectos. Extr. de Donat.*

XIX. (II.) Ex gravi delicto in principem seu Rempub. commisso, nam ejusmodi facinora servitute puniri, & juri divino, & Canonico, & Civili, multarumque gentium moribus est consentaneum. Sic enim ob Chaami impietatem patrisq; contemptum, omnem ejus posteritatem servitute poenâ tum novâ affectos esse scribit, *Polyd. Virg. de Invent. ver. lib. 2. c. 2.* Cui suffragatur *Augustinus de Civit. Dei lib. 19. c. 15.* Ubi, nusquam, ait, in scriptura servum prius legimus, quam hoc vocabulo Noah justus peccatum filii vindicaret. Sic jure Canon. Sacerdotum concubinarum servitute plectitur, *c. cum multa 15. q. 2.* Et in *c. isa quorundam. Extr. de Jud. & Sarac.* constituitur, ut Saracenis arma & necessaria suppeditantes capientium fiant mancipia. De jure civili id *supr. ib. 5.* demonstratum. Hoc etiam modo validos mendicantes, ut otiosa terræ pondera publicis operibus addicere, vel si iis observare nolint, iudicibus castigandos tradere præcipit *Imp. Nov. 80. c. 8.* Apud Saxones teste illorum jure, vid. *Landr. lib. 3. Artic. 39.* obrati decoctores creditoribus ad præstandas operas tam diu addici potuerunt, donec operarum taxatione aut aliter ipsis satisfactum esset *Coler. de Protec. Extr. p. 1. c. 3. n. 148.* Ho-

B

dic

die tamen in locum istius additionis, carceris poenam substituit Augustus Elector p. 2. *Constit. 22.*

XX Tertius modus est praescriptio longi temporis seu decennialis l. 20. in pr. C. h. r. Qui enim alicui per hoc tempus uniformes operas praestitit, nisi manifeste probare poterit, vel ex familiaritate & civilitate, vel precario, vel pro mercede hoc factum esse, obstrictus censetur ad eas proprii instar hominis deinceps quoque praestandas, quippe contra quem juris militat praesumptio, cum non sit verisimile, rusticum per integrum decennium ea precario praestitutum, ad quae jure se obligatum non sciat, vel existimet, ut loquitur *Dan. Moërus lib. 4. Semest. c. 38. n. ult.* His addunt domicilium seu mansum proprii hominis adsumptum, quod ex recepta Germaniae consuetudine, non nisi cum onere inhabitari potest, quemadmodum & olim liberos homines inquilinatus faciebat adscriptitios, per *text. in l. 13. C. h. r. Oldend. d. 47. 9. circ. fin.* modo tamen haec consuetudo nota fuerit ei, qui tali in loco resedit. *Zaf. a. sing. Resp. c. 12.*

XXI. Forma, qua huic potestati homines submituntur, pro varietate locorum diversa est. Fieri autem solet vel per homagium, quod varie accipitur, imprimis tamen denotat juramentum fidelitatis, quale Vassalli dominis feudi, ac subjectionis, quale subditi ac provinciales praestant domino suo territoriali, quod subditum arguit. In propr. hominibus dicitur juramentum obedientiae, & servitiorum, nec priori quicquam derogat, cum non sit absurdum, unum eundemque hominem ex diversis qualitatibus pro diverso haberi, imo id juri communi, & hodierno usui consentaneum esse ait *Caill. de Arrest. Imp. c. 6. n. 14. & seq.* Deinde fieri potest per nudam dextrae porrectionem, ut signum fidei, quam veteres in dextra ceu propria sede collocabant; nam prius per dextrarum copulationem foedera iniivisse, refert *Tacit. lib. 12. Annal.*

XXII. Effectus hujuscemodi potestatis, cum in ipso domino, tum subdito varii conspiciuntur. Ut enim ab illo ordiamur, exinde ei primum modica competit castigatio hominum suorum, per l. fin. C. h. r. quos propria auctoritate multis aliisque poenis medioeriter coercere potest. *Ilusan. d. 11. c. 7. n. 9.* Hinc & contra turbantem eos in opere rustico interdieto uti possidetis experiundi potestatem habet, cum ipse per eos turbari censetur *text. in l. 11 ff. de vi & vi arm.* utpote cui operas praestare non poterunt, nisi quiete agriculturam exercere liceat,

Schneid.

40

Schneid. Inst. de Interd. uti poss. n. 22. Siquidem injuriam in contumeliam domini servis illatam dominum vindicare posse constat *ex §. 3 Inst. de Injur.* sicuti & episcopus, abbas, & civitas, pro clerico, monacho, & cive, injuriarum actionem movere possunt, *Gail. 1. obs. 125. n. 6. & de Pignor. obs. 6. n. 12.*

XXIII. Tanta autem est dominorum in illos homines potestas, ut ubi deterior illorum conditio, velut in hac regione, pro libitu istos fundo possint ejicere *Cotzman. 4. Resp. 35. n. 18.* & aliis eum concedere, nulla obstanti temporis prescriptione, ut quaestionem hanc in dubium vocatam *Gestrovi Anno 1572. 25. Martii*, prodita ab illustrissimis Ducibus Constitutione decisam refert *Husan. d. tr. c. 2. n. 34.* Iuterim recte Christianos dominos ne absq; gravibus causis homines istos sedibus expellant, hortatur *Mynsing. 5. obs. 8. n. 10. & Cotzman. 2. Resp. 97. n. 3. 4. 5.* Alia est rusticorum conditio ad Rhenum & in Thuringia, ubi emphyteutis hanc absimiles, quamdiu annuam pensionem solvunt, expelli nequeunt. *Husan. d. tr. c. 7. n. 75.* In illis quoq; Marchia ditionibus, ubi rerum habent dominia, à dominis ob privatum commodum ad praediorum venditionem cogi non possunt, *Schepelitz ad Stat. March. p. 4. tit. 7. §. 2. n. 2.*

XXIV. Deniq; ceu olim Patroni certis conditionibus succedebant libertis, *et. tit. Inst. de succes. libert.* sic quibusdã in locis vi hujus potestatis, ex consuetudine, vel pacto, domini nullis exstantibus liberis, colonis succedunt *Jacobin de Royd. n. 12.* Alibi tenentur dominis certam bonorum partem relinquere, vel si id non fecerint, illi tamen pro consuetudine locorum accipiunt vel mediam facultatum partem, vel tertiam, vel quartam, vel defuncto viro optimum equum, aut bovem, vel mortuam muliere, ut in Halia, & finitimis locis, optimam vestem, aut vaccam, & hæc Canonistis mortuaria appellantur. Quæ consuetudo numsi justa, & Christiano digna, merito dubitari posset, cum afflictio heredi non sic addenda afflictio, atq; ex alterius morte lucrum sperare, nec civile sit, nec naturale, *arg. l. 38. §. 5. ff. de V. O.* quo nomine etiam jus illud caduciluctuosum appellari solet, ut scribit *Statutu d. tr. lib. 3. c. 22. n. 8.*

XXV. Atq; hi sunt Effectus hujus potestatis respectu Dominorum, respectu Propr. hominum consistunt (1.) In eorum subjectione quoad personam, & bona (2.) Reverentia & obsequio (3.) Operis ac servitiis. Quoad subjectionem personæ, non æqualis est omnibus in locis eorum

conditio. Sane in hoc Ducatu, ut constat ex *supr. alleg. Constit.* tantum firmiter dominorum agris sunt adfixi, ut non saltem non ipsi, sed neque eorum liberi, sine permissu dominorum in civitates ad discendas artes mechanicas commigrare, nec aliis nobilibus inservire queant, sed non minus ac olim servi fugitivi & adscriptitii *l. 23. §. 2. C. b. t.* à dominis ubicunq; deprehensi vindicantur, qui verò illos receptatos occultaverint, fractæ pacis publicæ crimen incurrere statuit, *Gal. de Arrest. Imp. c. 8. n. 15.* Quod si autem fugitivus ab alio jam detineatur, suâ autoritate ipsum dominus non apprehendet, ne uterq; ad arma profiliat, sed utetur juris remedio, nempe condictione ex *l. Si Colon. 14. C. b. t.* probando, se fuisse b. f. possessorem. & rusticum absq; causa ad reum per fugam venisse, & taliter ab ipso detineri.

XXVI. Aliis in locis, ut in Hassia & Thuringia, ejusmodi hominibus etiam irrequisitis dominis, alio se conferre non prohibitum, modò tot equos, boves, vaccas, oves, porcos, anseres, gallinas &c. quot acceperunt, in prædio relinquunt, vulgo die *Hoffwehre*/item *Eisern Viehe*/ quasi pecora nunquam morientia propter novorum surrogationem. *Wehner in Pract. obs. ibi: Eisern Viehe.*

XXVII. Nec minus quoad bona eorum conditio pro varietate locorum differt. In Polonia omnes facultates, agri, pecudes, vestes, &c. sunt domini, ad cujus nutum Kmetonibus saltem usus conceditur, quod de censibus adscriptis sancitum in *l. fin. C. In quib. caus. colon.* Rustici Mechlenburgenses quoq; nulla bona emphyteutica, multo minus censitica habent. *Husan. d. tr. c. 2. n. 28.* prædia non sibi, sed dominis precario possidentes *Cotbman. 2. Resp. 42. n. 59. 60.*

XXVIII. Deinde obligantur dominis ad reverentiam, quorum nempe persona semper iis sancta esse debet *arg. l. 9. ff. de Obseq. parent. & patron.* Cum igitur generaliter omnes, quibus debetur reverentia, in jus vocari nequeant *l. 13. ff. de in jus voc. l. 32. ff. de Ini.* nec colono absq; venia domino litem movere consultum erit, si autem conditione suâ dissimulata citationem contra dominum impetraverit, processus quidem tenet, verùm eum Patrono sive domino suo in ordinariam 50. aureorum pœnam condemnandum esse putat *Vant. de Nullit. ex defect. mand. n. 56.* Hæc reverentia prohibet etiam dominos criminaliter accusare, *l. pen. C. de his qui accus. non poss.* (excipe Læstæ Majest. crimen, cujus olim libertus patronum *l. 14. §. 6. ff. de Oper. Libers.* imò servus dominum, *l. 7. ff. Ad L. Jul.*

40
L. Jul. Majest. accusare poterat) quia etiam hæc famosam actionem, ut est doli, furti, &c. iis intentare vetat, jubens potius actionem verbis in factum conceptis attemperare L. 11 §. 1 ff. de dol. mal. l. 2. l. 5. ff. de Obseq. Parent. & Patron. Illud hic quæri posset. Anne rusticus contra dominum suum vel nobilem testari possit? Et affirmat hoc Sichardus ad l. 11. C. de Testib. n. 4. modò juramentum ipsi à domino sit remissum.

XXIX. Deinde per obsequium dominis debitum, illòs evocantes sequi, & in hostem ituros comitari tenentur. Domino etiam filiam elocanti dotem vel sumptus nuptiales extraordinariâ præstatione subministrare debent. *Jacob. de Homag. n. 34.* Quem tamen nisi ipsorum defensione in bello ad inopiam redactum, alere non tenentur, quod etiam de Vasallo affirmant *Jac. Ardiz. in Sum. Feud. c. 61. circ. fin. Zaf. in Epit. Feud. p. 7. n. 48.*

XXX. Restant operæ ab istiusmodi hominibus præstandæ, quales liberti apud Romanos patronis in memoriam priscae servitutis debebant l. pen. de Obseq. Parent. & Patron. l. 26. §. 12. ff. de Condi&. indeb. Sunt autem hæc nihil aliud, quam mixta munera personæ propter rem imposita, *Wesemb. in r. de Muner. & honor. n. fin.* Dividi solent in Officiales, quæ ad personam patroni referuntur, & huic quasi coherent, ut adesse, comitari & Fabriles seu artificiales, quæ ex artificio aliquo præstantur, ut pingere, scribere &c. d. l. 26. §. 12. ff. de Condi&. indeb. l. 65. §. 1 de Leg. 3.

XXXI. Ad illarum imitationem introductæ sunt hodiernæ rusticorum operæ, Germanis Frohndienste. Fron autem priscais Alemannis vel denotat sacrum, sic operæ sunt sacre per manumissionem collatæ libertatis remuneratio *Landr. 1. Artic. 53. & lib. 3. Art. 56.* vel publicum, hinc compositum *Fronfast* vid. *Webner d. obs. ibi. Dingnotstull.* Debentur hæc servitia vel ex tacita conventionione, dum rusticus accepto fundo onera huic inhærentia simul suscipit, vel expressâ, dum se ad novas præstationes obligat, *Coler. de Process. Exec. p. 1. c. 9. n. 5.* Quippe solent domini tradentes rusticis mansum, (nostris ein Erbe oder Hoff) vel si tenuius (einen Katen) alios, quibus tantum agri concesserunt, ut iumenta alere possint, ad vecturæ arationisq; officia, nobis zu Wagen und Pflugdiensten/ alios quibus non tantum agri committunt vulgo, fâter/ ad operas manuales aliasq; annuas præstationes sibi obligare, *Husan. d. tr. c. 6. n. 61. & seq.*

XXXII, Sunt autem servitia illa ex consuetudine Germaniæ vel certia ac determinata, h. e. certo tempore certisq; circumstantiis alligata v. c.

ut in vere tot dies aratro, in messe curru exhibeantur, velgo *gesekhte oder gemessene Dienste*/ de quibus rara disceptatio. Vel sunt incerta, neq; certo tempore circumscripta, vngemessene Dienste/ quæ ex arbitrio dominorum pendent, toties præstanda, quoties exiguntur *Gail. 2. obs. 62. n. 12.* ubi cavendum, ne ista licentia in tyrannidem aut cyclopicam abeat servitiam *Gail. d. obs.* ut apud Russos, quibus coloni sex dierum operas præstant, septimo tantum suis negociis reservato, *Sigism. Baro in hist. Moscov.*

XXXIII. Præstanda enim sunt vel juxta antiquam formam, vel eâ non apparente, juxta regionis consuetudinem, cessante autem & illâ, juxta boni viri arbitrium *arg. l. 30. ff. de Oper. Libert.* Nam non semper, neq; noctu exhibendæ: quippe sunt operæ diurnum officium, *l. l. 3. de oper. Liberts.* nisi imminentes hostes nocturnas excubias requirant; nec diebus festis; sed in consuetis negociis, sic tutor ad tutorias, sartor ad sartorias operas obligatur, si quis verò utramque artem caller, & nihil nominatim sit definitum, eligere potest, quâ arte servire velit, nam regulariter electiouem ad debitotem pertinere, constat *ex l. 106. de V. O. l. 10. in fin. ff. de jur. dot. c. in alternatiivis. de R. J. in sext.* Operis autem simpliciter promissis, officiales intelliguntur, *per l. 22. pr. l. 23. pr. l. 24. in fin. de oper. Libert.* Dominis autem servitia nimium exasperantibus, ita ut subditis nullum ferè tempus ad se suosq; alendos residuum maneat, superioris officium implorare licet, ad coërcendam istam inclementiam, non obstante, quod sæpius indebita servitia præstita sint, quippe quæ vi ac metu extorta censentur, *Coler. d. c. 9. n. 58.*

XXXIV. De eo non est dubium, quin dominus in initio contractus paciffi queat, ut loco servitiorum, quibus forte non indiget, quotannis sibi recognitionis loco, detur aut par gallorum gallinaceorum, vulgo, *Rauchhüner* (sic denominati, quod in alto noctu requiescentes altitudinè juris significant, juxta *Webnerum in pract. observ. sub voce. Fastnachthüner*) Aut certa frumenti quantitas, *Kornpacht*/ aut certa pecuniæ summa, *Geldpacht*. Hoc autem Quær. Anne exinde præjudicium generetur domino, ut ad operas regredi ipsi non liceat; Et distinguendum. Aut inter dominum & propr. hominem convenit, ut pro servitiis annua pensio perpetuò solvatur, nec domino ad operarum exactiorem regredi permissum, eò quod pacta sint servanda. Aut incidenter ex necessitate aliqua in pecuniam sunt conversæ, & dominus postea vel operas, vel pecuniam ipsis æquivalentem exigere non prohibetur, *Jacob. de Romag. n. 32. Ferrar. de Feud. lib. 6. c. 3 §. Proinde.*

XXXV.

XXXV. Huic vicina est illa Quæstio. An servitia jussu tempore non exhibita, deinde possint exigi? Ac distinguendum, aut enim rustici dolo vel culpâ id factum, & peti possunt *l. 134. de R. J. l. 30. C. de Transact.* Aut ipse dominus ea non exegit, & rusticus præstitâ æstimatione liberatur, nam iniquum foret, illum tempore nunc minus opportuno ad operas suâ culpâ non neglectas, obligare. *Husan. d. 11. c. 6. n. 75. Ferrar. de Feud. lib. 6. c. 3. §. Sed & hoc.*

XXXVI. Illud etiam hic observandum, fabriles quidem, non autem officiales operas dominum aliis delegare posse *l. 26. §. 12. ff. de Condit. indeb. l. 9. l. 23. de Oper. Libert.* modo ne hominis propr. conditio inde fiat deterior, *Jac. de Royd. n. 1. Ferrar. de Feud. lib. 6. c. 3. §. Eatentur.* Extra territorium quoq; rustici ad operas evocari non debent, *l. 21. de Oper. Libert.* nisi id vel consuetudine receptum, vel ratione bonorum sit inserviendum *Ferrar. d. c. 3. §. Hinc est.* Porro tenendum, propr. homines artificiales operas suis impensis, suoq; victu præstare *l. 13. l. 20. Eod.* nisi contrarium suadeat ipsorum egestas *l. 18. l. pen. Eod.* officiales verò sumptu dominorum *l. 21. l. 33. h. t.* Et quia sine instrumentis expediri non possunt, ea talis colonus sibi comparare, & læsa fractaq; sumptibus suis reparare debet, *arg. l. 2. §. 1. ff. Ad L. Rhod. de jact.* Tandem, quia surrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum surrogatur, si rustici certo castro suas addixerint operas, illo quidem destructo, at novo iterum ædificato, servitia denegare non possunt *Jac. de Royd. n. 50.*

XXXVII. Tantum de operis propr. hominum. Ad modos probandæ hujus servitutis nos convertimus. Probatut autem iisdem modis, quibus constituitur, V. C. In originariis origine, vel nativitate: In adscriptitiis adscriptione *vid. supr. Tb. 17.* (2.) Testibus aut instrumentis, illis quidem, si pactio aut stipulatio, quâ se colonus domino submitit, in scripturam non sit redacta, & hominum memoriæ adhuc inhæreat: His vero si scripto comprehensa, & confessione hominis voluntariâ corroborata fuerit, *per text. in l. 22. C. de Agric. & Cens.* (3.) Præstatione servitiorum continuata per longum tempus, de qua *supr. Tb. 20.* (4.) Adsumptione mansi à proprio homine semper inhabitati *vid. Tb. 20.*

XXXVIII. Sed Quær. cui probatio incumbat, an domino hoc sibi jus in aliquem vendicanti, num alteri neganti? Hic disting. Aut dominus est in quasi possessione operarum, quas sibi ex manso per legitimum tempus aliquis exhibuit, qui nullam exemptionem probat, & in eum.

hoc

hoc onus devolvitur *arg. l. 14. ff. de Probat.* Aut nihil præstitit domino, unde subjectionis argumentum sumi possit, & liber pronunciandus erit, donec alter intentionem suam probaverit, siquidem res & persona quælibet tamdiu libera præsumitur, donec contrarium probetur, *pr. Inst. de Libert. Alciat. 2. Præsumpt. 3.*


XXXIX. Superest ut dicamus, quibus modis hæc potestas finiatur, quod fit vel expressè, vel tacitè. Expressè (1.) Per manumissionem, quæ & à vivo, & moriente per ultimam voluntatem expediri potest, ita tamen ut reverentia domino salva maneat, *arg. l. fin. vers. reverentia C. de bon. libert.* (2.) Per renunciationem, si nempe obligatio certum prædium concernat, & non repugnet consuetudo, ut hac in provincia, ubi solà renunciatione à gleba, cui adfixi sunt rustici, non liberantur. *Husan. c. 8. n. 7.* Tacitè autem finitur (1.) Per præscript. eamq; vicennalem *l. 2. C. de Long. temp. præse. quæ pro libert.* quo rescripto tria requiruntur, nempe bona fides, ut præscribens liberum se existimet, deinde possessio vel quasi, ut palàm se talem gesserit, & deniq; hujus possessionis per vicennium absque domini interruptione continuatio *Zaf. 2. Conf. 19. n. 32.* (2.) Per dignitatem v. g. Doctoralem, quam homo propr. sibi acquirit, idq; ad exemplum libertatæ *l. 34. ff. de Oper. Libert.* (3.) Per inhabitationem urbium, in quibus, dum inhabitantur, quæstio status ex singulari privilegio hujusmodi hominibus moveri non potest, qualem esse Neientem Allobrogum, & alias civitates Francas seu liberâs, refert *Ant. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 4. Def. 4.*

XL. Deniq; hoc generaliter finitur omnibus modis, quibus aliquis eo se indignum facit, v. c. per nimiam in colonos sævitiam, nam si olim dominus hanc ob causam servum vendere cogebatur, *s. fin. Inst. De his, qui sunt sui &c.* sane liberiores homines deterioris conditionis esse non debent, præsertim cum abusus rerum earundem præsumptio puniri soleat. Verùm, quia hoc casu pro dominis militet præsumptio, violentiam illam, de qua conqueruntur propr. homines, superiori clarè demonstrant *l. 2. C. In quib. caus. colon.* Quo facto, non prius jure suo cadunt domini, quam à superiore fuerint præmoniti. *Stam. d. tr. lib. 3. c. 26. n. 6.*


Sed quorsum! optarem, ut hanc materiam propter incertam propr. hominum naturam læsè se diffundentem, latius persequi liceat, ve: ùm obstas inest? Facultatù Jurid. statutum. Quare, ut huic satisfaciam, pedem figo in eo, à quo primùm movi DEO ter opt. ter Max. cui sit

LAUS ET SEMPITERNA GLORIA,





the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 dem familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 Anno 1615. vagabundus quidam homo co-
 quelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 cipalibus, & civitatibus ingentem pecuniam
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 ses, anno 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 dam, ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 a poenam temporalis relegationis in-
 curavit. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 sequenti *num. 41.* adducit exem-
 plum assumpto nomine Advocati cujus-
 dam, qui publicè jactaverat, quem postea
 iudicium Senatus virgis coedi, & exilio
 continent & huc exempla relata a *Valer.*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-
 nit, ut apud Historicos aliosq; scripto-
 rum inter quae notissimum est illud Plau-
 ti in forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut è bello rever-
 tentibus concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4